

1. Herm. von der Harde's Epheuerides philologiae 1703.
2. Joh. Christ. Springij exercitationes XLVIII in pentateuchum M. et librum Josue 1683.
3. Joh. Musaei Diss. de libertate philosophandi. 1674.
4. Joh. Gezelij questiones theologicae in conventu Synodali Livoniae 1664.
5. Christ. Mascerovij Diss. de quodstid, ne quid deus ante mundum conditum fecerit. 1612.

**SPIRITU
INTERPRE-
TANDI SCRIP-
TURAS,**

Quam
DIVINI NUMINIS GRATIA
ANNUENTE,
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ
publice ventilandam proponunt
PRÆSES

CHRISTIANUS SAHMIUS,

S. S. Theol. D. & P. P. Diaconus Ecclesiæ
Palæopolitanae,

ET RESPONDENTES

ALBERTUS COLUMBUS,

S. S. T. S. Lycæ. Bor.

JOHAN. BALTHAS. CHARISIUS,

S. S. T. S. R. B.

IN AUDITORIO THEOLOGICO,
Anno MDCCXII. d.

REGIOMONTII Typis REUSNERIANIS.

Respond.

ALBERT.

COLUM-

BUS, *Lycc.*

Boruss.

S. S. Theol.

Stud.

4. 2V. J.

S. I.



Cripturam Sacram Spiritu interpretandam esse, ipsa non uno in loco docet. Petrus 2. *Epist I 20 Πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως ἔχεται.* *Omnis Prophetia Scripturae non fit propria Interpretatione. Non enim voluntate hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt Dei homines.* In his verbis agere Petrum de Interpretatione Scripturae haud difficulter ostenditur. Etenim *προφητεία γραφῆς*, rectissime redditur, Prophetia Scripturalis, aut per hypallagen Scriptura Prophetica. Nomen autē *ἐπιλύσεως* Interpretationē significat. Est enim istud ab *ἐπιλύειν*, hoc vero dissolvere & explicare orationem aliquam significat, ut patet ex *Marc IV. 34.* ubi de Parabolis Christi: *καὶ ἰδὼν τοὶ μαθηταὶ αὐτῆς ἐπιλύε πάντα.* *Privatim vero discipulis suis explicabat omnia.* ubi Beza annotat: *solvbat, nempe tanquam enigmatum nodos.* Nimirum interpretatio nihil aliud est, quam solutio, & evolutio Sermonis, prout in filo nodus solvitur, & evolvitur, quod antea erat involutum & constrictum. Et hoc idem quoque alia hujus loci lectio, quae habet *διαλύσεως*, importat. De interpretatione autem Legentis Scripturam, vel Audientis eam, Petrus in his verbis agit. Jusserat enim in antecedentibus eos, ad quos scripserat, *attendere ad Sermonem Propheticum*, hoc autem quomodo fieri debeat ab iis, jam declarat, & initio quidem *κατ' ἄρτι*, scilicet, ut non propriam & ab ipsorum cogitationibus enatam interpretationem afferant, quia adhuc modum Sermo Propheticus non est consignatus, *non enim voluntate humana &c.* deinde *κατὰ θέσιν*, ut ad eum modum, quo consignata est Scriptura Prophetica, interpretatio etiam ejusdem instituat, nempe ut sicut *acti à Spiritu S. locuti sunt sancti Dei homines*, ita etiam *acti à Spiritu S.* interpretentur Scripturam, qui ei attendunt. Hunc verborum Petri sensum agnoverunt antiqui Ecclesiae Doctores. *Beza & ex eo Glossa Ordinaria. Si ut Prophetae non sua, sed Dei verba sciebant, ita lector non sua interpretatione uti debet: ne à fide exorbitet, sed laboret attendere, quomodo verba sua voluerit intelligi ille, qui scripsit. Bernardus in Epistola ad Fratres de monte Dei: Quo Spiritu Scripturae factae sunt, eo Spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligenda sunt. Ipse quoque Salvator jam voluit hoc ipsum docere, quando promittens Spiritum S. addit: Cum autem venerit ille, Spiritus Veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Job. XVI. 13.* ita sa-

nc-

ne verba Christi exponit quæ ipse administratio, nisi hæc, quod
cap. 1. Quæ est ergo, inquit, Paracleti administratio, nisi hæc, quod
disciplina dirigitur, quod Scripturæ revelantur, quod intellectus refor-
matur, quod ad meliora proficitur. Et quod potissimum de Aposto-
lis Salvator, de aliis fidelibus Johannes tradit i Ep. II. 27. Unctio docet
vos de omnibus, quæ & verax est & non mendax: & sicut docuit vos,
manebitis in eo. Quæ enim illa unctio, quam quidem Spiritus S? Ele-
ganter proinde Augustinus ad b. l. Unctio spiritualis ipse Spiritus San-
ctus est.

§. II.

Ipsa intellectus humani post lapsum conditio satis docet, ab illo,
sibi relicto, Scripturas intelligi non posse. Sunt enim, quæ in Scri-
ptura principaliter proponuntur mysteria, Paulus sane dicit, se notum
facere *Mysterium Evangelii* Ephes. VI. 19. *Mysterium quod à temporibus
æternis tacitum fuit.* Rom. XVI. 25 Sunt ea, quæ in Scriptura pro-
ponuntur talia, quæ oculus non vidit, auris non audivit, & in cor ho-
minis non ascenderunt. i. Cor. II. 9. Hæc talia autem intellectus hu-
manus capere non potest; est enim ad talia intelligenda tenebris obscu-
ratus, & Cor omnino excæcatum, Ephes. IV. 18. *Vani facti sunt homines
in ratiocinationibus suis, & obrebratum ac despiens factum cor eo-
rum,* Rom. I. 21. Altius ergo quippiam requiritur, nempe Spiritus S. qui
efficere debet, ut intelligere ea homo possit, ut Apostolus rursus testa-
tur i. Cor. II. 14. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus
DEI, sunt enim ei stultitia, nec potest cognoscere, quia spiritualiter ju-
dicantur, ast spiritualis dijudicat omnia.* Spiritus Sanctus igitur de-
bet illuminare tenebras mentis & intellectus humani, ut mysteria hæc
percipere valeat. Dicitur hac de causa, *Spiritus Sapientie & Intelle-
ctus,* Es. XI. 2 & Apostolus, quando de verbo veritatis & Evangelio sa-
lutis, quod audiverunt, locutus erat Ephesius, ut hoc intelligant, pre-
catur iis, ut Pater ille gloriæ, det iis Spiritum Sapientie & Revelationis,
in agnitionem ipsius, illuminatos oculos mentis, ut sciant, quæ sit spes
illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hereditatis ipsius in Sanctis: hoc
ipso clare ostendens, sine Spiritu S. ejusque illuminatione verbum DEi
intelligi non posse. Hoc est, quod Augustinus Epist. CV. scribit: *Nemo
recte sapit, recte intelligit, nisi acceperit Spiritum Sapientie & Intel-
lectus.* & Theophylactus Comment. ad cap. X. Johannis. *Spiritus S. est
ostiarius. Nam quia in Spiritu S. intelliguntur ac aperiuntur Scripturæ,
quæ ostendunt nobis Christum, merito ostiarius dicitur Spiritus S. in quo,*

ne sperantur. *De Veritate Scripturæ aperientur.* Hoc itaque bene observarunt Sancti, quoties Scripturam intelligere ac interpretari animus ipsis fuit, hinc DEum precibus adierunt, & rogarunt, ut ipse hoc iis largiretur: David *Psal. CXIX, 10. Domine ne errare finas me à mandatis tuis.* v. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia legis tue.* v. 73. *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Quæ & alia considerans *Origenes Hom. 17. in Exodum: Supplicandum, inquit, Domino est, ut ipse accipiens Librum signatum dignetur aperire, ipse enim est, qui aperit mentes, ut intelligantur Scripturæ.*

§. III.

Cum autem res in Scriptura S. contentæ, non unius sint generis, sed aliæ quidem ipsi cum aliis Scripturis communes, aliæ vero ipsi propriæ, & ex ipsa sola desumendæ, quales sunt mysteria fidei, dicendum est, Spiritum S. potissimum laborare in his ultimis, ut Scripturam intelligere & interpretari quis possit. Quemadmodum enim ex aliis Scripturis Physica v. gr. Physicus, Arithmetica Arithmeticus intelligere & interpretari potest facultate, quam sibi acquisivit, ita dubitari nequit, ex Scriptura etiam Sacra eadem facultate Physicum Physica, Arithmeticum Arithmetica intelligere & interpretari posse. Unde ex sua quemlibet facultate Grammatica, Chronologica, Historica, Physica, Arithmetica, Geometrica, Astronomica in Scriptura contenta explicare, & in iis verum sensum Scripturæ indagare posse, non putamus esse negandum. Quod vero ea attinet loca Scripturæ, quæ propria ipsi sunt, & fidei imprimis mysteria tradunt, ea nemo sua facultate adhibita recte interpretari potest, nisi à Spiritu S. edoctus ea fuerit.

§. IV.

Habet autem hæc sententia adversarios: *Socinianos*, ex quibus *Ostorodus Institut. cap. I.* asserit, errare eos, qui statuunt, quod Scriptura Sacra sine singulari revelatione Spiritus S. nullo modo fidem atq; obedientiam in hominibus operetur. *Remonstrantes* quoque Scripturam ita claram esse, dicunt, ut Spiritus S. illustratione, & speciali gratia lumine opus non sit: teste *Episcopo de Persp. Scripturæ lib. 3.* Sed, ut de posterioribus prius dicamus, Claritas ac Perspicuitas Scripturæ, cum Spiritus Sancti operatione in interpretatione Scripturæ optime conjungitur. Perspicuitas enim Scripturæ verba ejus concernit, quæ etiam sine Spiritu S. peculiari assistentia intelligi posse, nemo negat: est vero res ipsæ, quæ perspicuis verbis hæc proponuntur, nequaquam ab homine possunt cognosci, nisi Spir. S. id effecerit operatio.

nos vero quod concernit, illi hominem in creatione ita conditum esse, ut Scripturam sine Spiritus Sancti peculiari assistentia intelligere potuisset, manifestum esse dicunt, & ab omnibus concedi. Aliter vero, qualis tunc conditus, talem adhuc esse hominem, nec perdidisse quippiam eorum, quæ in creatione acceperat. Possit ergo adhuc dum illum Scripturam ad eum modum, quo statim post creationem, intelligere. Sed majorem in modum hi homines fallunt & falluntur. Etenim, quod homo in creatione ita conditus sit, ut potuisset Scripturam intelligere, id habebat ab imagine divina, ad quam creatus erat. *Gen. I. 26.* hæc enim imago divina in eo quoque consistebat, quod homo haberet sapientiam quandam, & lucem seu perfectionem aliquam intellectus ad cognitionem rerum divinarum, quemadmodum patet *ex Col. III. 10.* ubi *renovatio* dicitur fieri debere *in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit ipsum*, ad quod enim renovari homo debet, id antea habebat. Jam autem imaginem divinam & hanc Sapientiam & Lucem atque perfectionem intellectus perdidit homo, & in locum illius lucis tenebræ successerunt in intellectu ejus, ut jam ante ostensum, non ergo potest nunc eodem modo Scripturam intelligere, quo potuisset, antequam imaginem divinam perdidisset. Successit autem Spiritus Sancti operatio, quæ DEi & rerum divinarum agnitionem in homine Scripturam legente, efficiat, eumque intelligere atque interpretari Scripturam doceat.

§. V.

Spiritus autem Sanctus, qui ad Scripturæ interpretationem requiritur, ipsi Scripturæ S. semper est conjunctus, atque quoties Scriptura legitur ac proponitur, Spiritus S. operatur in cordibus hominum, ut intelligere Scripturam S. possint. Quod enim de suis verbis dicebat Salvator: *Verba quæ ego loquor vobis Spiritus sunt & vita.* *Joh. VI. 63.* hoc est, ut *Glassius Philol. Sacre Lib. V. Tract. I. cap. 1. num. 11.* à Spiritu DEi sunt, & spirituale vitam conferunt. Et Paulus: *Sermo meus & prædicatio mea, non in personarum humane sapientie verbis, sed in demonstratione Spiritus & Virtutis.* *1. Cor. II. 4.* Illud de ipsa quoque Scriptura, in qua verba, quæ Christus & Apostoli locuti sunt, consignata sunt, accipiendum esse extra omne dubium est. Habet nimirum verbum DEi scriptum sibi unitam Spiritum S. atque inde spirituales effectus, inter quos primus terè intellectus & interpretatio Scripturæ, promanant. Atque hinc est, quod idem effectus illuminationis tribuatur & Spiritui S. & Scripturæ S. Præclare *Clemens Alexandrinus*

*Pedag. Lib. I. cap. 9. p. 39. ἀεὶ τὸν Θεὸν ὁρῶντες, illuminationem, quatenus
dicit: διὰ τὸ Θεὸν ὁρῶντες, per quod id, quod est divinum, perspi-
cimus. Ita sane jam Epistola ad Hebræos VI. 4. sensit, quando mysteria
divina edoctos appellat φωτισθέντας, illuminatos. Illa autem illumi-
natio tribuitur quidem Spiritui S., sæpe tamen & Scripturæ. Spiritus
S. propterea dicitur Spiritus Sapientiæ & Revelationis, quia illuminat
oculos mentis hominum. Ephes. I. 18. Egregie in rem nostram Theo-
phylactus Comm. ad h. l. Hoc est, donum & gratiam vobis exhibeat, ut
per Spiritum erudiimini. Nisi enim Spiritus revelaverit nobis abditæ
mysteria, fieri non potest, ut alia ratione eadem discatis. Basilii eun-
dem in sensum Homilia XV p. 501 Spiritus omnes ad agnitionem DEI
illuminat. Scripturæ vero hoc ipsum tribuit David Psal. XIX. 9. Præ-
ceptum Domini purum illuminans oculos. v. 12. Etiam servus tuus illu-
stratur in eis. Augustinus in Enarr. secunda hujus Psalmi Tom. 8 p. 97.
Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Non hebetans; non
carnis oculos, sed cordis: non exterioris hominis, sed interioris. Hoc
est Spiritus S. Quibus verbis Augustissimus Pater nihil aliud docet,
quam illuminationem, quæ per præceptum Domini fit, ab ipso fieri
Spiritu S. verbo unito ac conjuncto. Et hinc quoque est, quod illu-
minatio tribuatur Ministris verbi, illi enim sunt, qui verbum DEI
prædicant, quod homines illuminat & ad cognitionem perducit My-
steriorum divinatorum. Ita Paulus Ephes. III. 8. 9. Mibi omnium san-
ctorum minimo, data est gratia hæc in gentibus Evangelizare investiga-
biles divitias Christi, & illuminare omnes. h. e. ut Theodoretus: Quod
nunc revelatum est mysterium doceo eos. qui nesciunt. Eodem tendit,
quod revelare oculos mentis dicitur & Spiritus S & Scriptura. David
orans DEum ita loquitur: Revela oculos meos, & aspiciam mirabilia
de lege tua. Ps. CXIX. 18. ubi Theodoretus: Non enim omnes, qui di-
vina oracula lætificant, horum mirabilia considerant, sed qui superno
splendore perfruuntur. Hanc revelationem oculorum aut apertionem
oculorum sibi quoque tribuit Paulus, quando dicit, misisse Domi-
num sese ἀνοίξαι ὀφθαλμούς αὐτῶν, scilicet τῶν ἑθνῶν, aperire oculos
eorum, sc. gentium, & hoc quidem per prædicationem verbi, quod
deinceps in Scriptura consignatum. Act. XXVI. 18. Id quod jam per-
spicitur ex Act. IX. 15. ubi Christus ipse Paulum appellat: vas electum,
ut perferat nomen meum in conspectum gentium: prædicando scilicet
Evangelium. Ita autem hæc tribuuntur Spiritui Sancto pariter & Scri-
pturæ, ut expresse doceatur, nec Spiritum S. sine verbo Scripturæ,
nec*

nec noc sine Spiritu Sancto illuminare, & myſteria divina docere homines. Ipſum etenim Evangelium dicitur: *δὲναμὸς Θεοῦ. Rom. I. 16. 1. Cor. I. 18. 24.* quia ſcilicet Spiritus S. qui eſt *δὲναμὸς ὑψιſτῶν, Jac. I. 35.* & *πνεῦμα δὲναμὸς 2. Timorb. I. 7.* ipſi ex DEi ordinatione unitus & intime eſt conjunctus. Atque hac de cauſa virtus divina, quæ agit in homines in verbo, ita deſcribitur, ut ipſi verbo Scripturæ tribuatur. Appellatur enim hoc *ſemen, Matth. XIII. 19* quod in ſe habet *δὲναμὸν πλάσων*, confertur cum imbre & nive, quæ in ſe habent vim germinare faciendi terram. *Eſ. LV. 10. 11.* ut alia ejuſmodi plura omittamus. Vere ergo pronuntiavit jam hac de re *Gregorius M. Hom. 30. ſuper Evangelia: Nifi idem Spiritus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo Doctōris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit, qui doceat, doctōris lingua exterius in vanum laborat.* Et ruruſus: *Per vocem ergo non inſtruitur, quando mens per Spiritum non ungitur.* Formula Concordiæ de Libero Arbitrio pag. 670. *Predicatio verbi DEi, & ejuſdem auſcultatio, ſunt Spiritus S. inſtrumenta, cum quibus & per que efficaciter agere vult.* & p. 671. *Per predicationem & auditionem verbi DEus operatur.* Et poſt aliquid: *Tum Concionatoris plantare & rigare, tum Auditoris currere & velle. Fruſtra omnino eſſent, niſi Spiritus S. virtus & operatio accederet: qui per verbum predicatum & auditum corda illuminat.* Theologi Wittebergenſes: *Quomodo ſine Spiritus S. operatione effectus ullos producat verbum? in Cenſura Rathmann. ap. Dedeken. p. 269.*

s. VI.

Nec eſt, ut objicias: Spiritum S. cum ſenſu Scripturæ demum eſſe conjunctum atque unitum ex ordinatione divina, ut illuminet homines, ita enim docere *Theologos Jenenſes in Cenſura contra Rathmannum fol. 267.* *Von der innerlich'n Form der H. Schrift: das iſt vom innerlich'n Sinn, Rath und Meinung Gottes in den euſſelichen Worten verfaſſt ſagen wir: daß Gott der Herr demſelben die Kraft des H. Geiſtes die Menſchen zu erleuchten zu beſſern und ſelig zu machen/ aus freywillig'r Gnade zugeeignet habe.* Aſt vero rebus ita ſe habentibus, dici non poſſe Spiritum S. ad intelligendam & interpretandam Scripturam S. eſſe neceſſarium, ſenſu enim Scripturæ cognito eam intelligi, & intellecta Scriptura interpretationem ejuſdem adornari utique poſſe. Annotandum enim eſt ſenſum Scripturæ, cum quo ex ordinatione DEi dicitur eſſe conjunctus Spiritus S. quando illuminat homines, non eſſe alium, quam illum, qui ex verbis Scripturæ

per-

perspicuis colligitur, & a quovis ianae mentis nomine lingua gnaro
& debitam diligentiam adhibente, ex Scriptura haberi potest. Ta-
lem enim sensum Scripturae haberi posse testatur *Chemnicus in Iudicio*
de Controversiis quibusdam sui Sec. art. 4. de externa Disciplina sive Ju-
stitia carnis p. 36. scribens: *Ratio nullas habet noticias naturales de do-*
ctrina Evangelii, sicut de Lege: Hoc vero potest, sicut Augustinus inquit,
de fide ad Petrum (cap. 32.) Verba Evangelii legere, sive ex ore predi-
cantis audire, de significatione & sensu verborum disputare, aliquo mo-
do etiam verba intelligere, sicut in Judaeis patet, & quidem fidem hi-
storicam concipere, sicut Lutherus loquitur de fide acquisita. Hoc enim
ipsi etiam Diabolo tribuitur Jac. II 19. & in multis Evangelii hostibus
conspicitur. & p. 39. Etiam si in verbis aliquem sensum vident, tamen
quia rationi non probatur, non accommodatur assensus. Huic autem
sensui Scripturae literali, ut à Theologis appellari solet, unitus atque
intime conjunctus est Spiritus S. atque ita illuminatur per Scripturam
homo, ut res ipsas sensu illo literali designatas pro conditione hujus
vitae intelligat, & sic genuine interpretari Scripturam S. possit. Ita sa-
ne *Formula Concordiae p. 671.* scribit: *Si verbum DEi juxta mandatum*
& voluntatem DEi pure & sincere predicatum fuerit, & homines illud
diligenter & serio auscultaverint, illudq; meditati fuerint, certissime
Dominum gratia sua presentem adesse &c. Rem exemplo declarabi-
mus. *Gal. IV. 4.* scribit Paulus: *At ubi venit plenitudo temporis, misit*
DEus filium suum, natum ex muliere, factum sub Lege. In hoc loco quid
singula verba significant, quis item sensus literalis propositionum sin-
gularum, v. g. plenitudo temporis venit, DEus misit filium &c. perspi-
cuae satis apprehendi potest, huic vero sensui literali ex ordinatione di-
vina unitus est & intime conjunctus Spiritus S. atq; ita illuminatur ho-
mo, ut res ipsas verbis & propositionibus illis designatas intelligat, &
locum propositum interpretari recte possit. Manifestum hoc est ex
exemplis eorum, qui ex lectione vel auditu Scripturae S. conversi sunt,
ex quibus hac vice produxisse *Johannem Gersonem* sufficiat. Is Judaeus
adhuc, legit quidem N. T. & verba ac propositiones in eo invenit plures
omnino perspicuas, res autem designatas nequaquam cognovit, mali-
tiose initio Spiritui S. resistens; deinde autem huic locum dans illumi-
natus est, ut & sensum litteralem & res eo designatas edocuis, Scripturis
tandem crederet.

Omnes autem illi, qui quocunque tempore Scripturam S. rite
 serati sunt, unam eandemque intelligentiam & interpretationem e-
 jusdem sunt assecuti. Etenim idem ille Spiritus S., qui semper Scri-
 pturæ S. est conjunctus, prout Spiritus est Veritatis & nunquam muta-
 tur: ita quoque omnes verum ejusdem sensum docuit, & res
 in Scriptura consignatas, iis explicavit, atque notas reddidit. Pro-
 misit illud ipse Salvator *Joh. XIV. 16. 17. Ego autem rogabo Patrem, &*
aliud Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spi-
ritum veritatis. Quæ promissio quemadmodum Apostolis primo facta
 est, ita ad omnes quoque veros Christianos pertinet, quorum illi per-
 sonam sustinebant. Hac sane de causa omni tempore magno habita
 sunt in pretio testimonia Ecclesiæ & verorum ejus membrorum, de ve-
 ro sensu & interpretatione Scripturæ S. Videtur jam ipse Apostolus
 ea commendasse *1. Thess. V. 20. ubi: ἠγοφρείας μὴ ἔχετε: Pro-*
phetias nolite spernere. ἠγοφρείας enim h. l. Interpretationem Scri-
 pturæ denotare, communi consensu Interpretes affirmant: hanc non
 esse spernendam dicit Apostolus, hoc est, esse audiendam, conferendam,
 probandam. *Athanasius de Humanitate Verbi. Nos ista hausimus à*
Magistris divinitus afflatis, qui sacros libros evolverunt. Idem *Orat.*
contra Gentes init. Multi sunt à sanctissimis Magistris nostris conscripti
 libri. Quos si quis evolvat, hanc inde utilitatem reportabit, ut intel-
 lecturus sit Scripturarum mentem, & eam, quam cupit, cognitionem sit
 adepturus. Probe hoc observavit Hieronymus, inde in *Epistola ad Mi-*
nerium & Alexandrum, quæ extat Tom. III. p. 124. italoquitur: Meum
propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere, quæ bona sunt,
& à fide Catholice Ecclesie non recedere. Solebant hinc pii Christiani
 priorum seculorum exinde ostendere, intelligentiam atq; interpreta-
 tionem Scripturæ non esse veram, quam nemo antehac Christianorum
 cognoverit. *Irenæus lib. 3. contra Hæreses cap. 3. Habemus, inquit,*
annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis & suc-
cessores eorum usq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neq; cognoverunt,
quale ab his deliratur. Et *Basiliius lib. I. adversus Eunomium Quid tu*
narras? Nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spiri-
tuali gratia claruerunt, sed claudentes simul oculos animi, exterminata
ex animo cujuslibet sancti viri memoria, otiosam & omnino vacuum de-
ceptionibus & cavillationibus mentem nostram supponemus. Optime
 rem hanc declaravit *Martinus Chemnitius in Examine Concilii Tridentini*
in quarto genere Traditionum p. m. 67. Nullum est dubium primitivam

II.
 Respond.
 JOH. BAL-
 THASAR
 CHAR-
 SIUS, S.S.
 Theol.
 Stud.

Ecclesiam accepisse ab Apostolis & a viris Apostolicis, non tantum textum, sicut loquimur, Scriptura, verum etiam legitimam & nativam ejus interpretationem, quam quia primitiva Ecclesia ad illa usq; tempora sine fictione custodiverat, ita ut certis documentis probare posset, à quibus eam accepisset. & ita retro progressus fieret ad ipsos usq; Apostolos, jucundissima sane fuit illa consideratio, qua pie mentes plurimum confirmate fuerunt contra Hereticorum corruptelas. Et de Interpretatione Scripturae p. 58. Grati etiam & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturae loca commentariis suis utiliter illustrarunt. Et veteris Ecclesiae testimoniis in vero & sano Scripturae sensu, nos non parum confirmari fatemur. Neq; enim probamus, si quis sibi comminiscatur sensum pugnantem cum tota antiquitate, & cujus plane nulla Ecclesiae sunt testimonia.

s. VIII.

Equidem obstare videtur huic nostro asserto illud, quod variae non raro expositiones inveniuntur ejusdem loci Scripturae apud antiquos etiam Interpretes, & illae quidem multoties à se diversae, aut plane sibi invicem adversae. Ut hoc probetur, suffecerit adduxisse, quae habet Johannes Dalesus, de vero usu Patrum lib. 2. cap. 5. p. m. 303. ubi in hunc modum disserit: De locorum S. Scripturae expositione apud ipsos Patres non est Concordia. Hic ex Evangelio secundum Johannem locus: Ego & Pater unum sumus. Job. X. 30. Magni est momenti in disputationibus contra Sabellium & Ariam. Vin' tu ejus genuinum sensum doceri, ne perversa expositione in istorum scopulos impingas? Si Patres adis, reperies nobilem hunc locum ab aliis ad animi & voluntatis unionem, ab aliis ad essentiae & naturae unitatem referri. Hic alter ex eodem Evangelio locus: Pater major me est. Job. XIV. 18. dignus est, qui accurate expendatur in quaestione de Divinitate Jesu Christi. Atqui & hunc ipsum Patres aliter atq; aliter interpretantur; sunt enim qui Patrem Filio simpliciter, qua filius est, majorem intelligi volunt, sunt, qui catenus tantum, quatenus homo est Filius. Haec Johannis verba: Verbum caro factum est. Job. I. 14. magni sunt usus in Controversia cum Nestorio & Eutychete. Si Patrum arbitrio rem committis, alii haec Johannis cum Paulinis conferunt: Christus factus est peccatum & execratio. Gal. III. 13. Cyrillus vero ab ea expositione cavendum praecipit: Infinitum est quaecumq; huic pertinent, omnesq; Patrum in exponenda Scripturae diversitates & pugnas referre &c. Ex quibus omnibus concludendum esse videtur, non docuisse eos omnes Spiritum S. verum Scripturae sensum. Non putamus tamen, haec quae dicta sunt, nostram destruere sententiam. In-
tjo

tio enim, non aucterimus omnia Scripturæ loca ita esse comparata, ut eorum intelligentiam ac interpretationem scrutatores Scripturnarum afferant. Etenim recte scripsisse putamus *Irenæum lib. 2. adversus Hæreses cap. 27.* Eorum, quæ in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam DEI, quædam autem commendemus DEO; & non solum in hoc seculo, sed & in futuro: ut semper quidem DEUS doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à DEO. Deinde solent in usus suos convertere eum in modum Scripturæ scrutatores illius sententiam, ut non semper & ubique sensum plenum & secundum omnem huius ubertatem exponant, sed ea tantum, quæ ad propositum ipsorum faciunt, afferant, reliqua tamen non negent; aliquando etiam scopo suo verba Scripturæ accommodent tantum, nequaquam autem illorum præcipuum & principalem sensum evolvant, id autem quando fit, non potest dici eos aut diversam aut adversam intelligentiam & interpretationem Scripturæ afferre, quam quæ ab aliis traditur. Graviter *Augustinus lib. I. de Genesi ad Literam cap. 21.* Cum divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intelligimus, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate catholice fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus. Si autem hoc lateat, id certe, quod circumstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & Scripturæ circumstantia pertrahatur, aut discuti non potest, saltem id, quod sana fides præscribit. Aliud enim est, quid potissimum Scripserit, non dignoscere, aliud autem à regula pietatis aberrare. Si utrumque videtur, perfecte se habet fructus legentis. Si vero utrumque vitari non potest, etiamsi voluntas Scripseris incerta sit, sana fidei congruam, non inutile est tenuisse sententiam. Accedit & hoc, quod quemadmodum & Scripturæ scrutatores non possunt dicere se peccatum non habere, 1. *Joh. I. 8.* ita nec omnino à præconceptis opinionibus liberi sint, & sic aliquando ipsi non attendant Spiritui Scripturam interpretanti, atque ad intelligentiam Scripturæ non perveniant. Res sane manifesta est in ipsis Christi discipulis, qui ipso Domino Passione ipsis clare & perspicue quam enim Dominus multoties de sua Passione ipsis clare & perspicue loqueretur, nihilominus ea non intelligebant, quia opinione de regno Christi terreno erant præoccupati, unde *Luc XVIII 34* de iis dicitur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, erantque ista verba ipsis occulta, nec cognoverunt, quæ dicebantur.* Sane hinc factum est, quod cum quibus fere Patrum haberet suos navos, imo fere suos errores, iis abreptus in quædam Scripturæ loca sensum potius intulerit, quàm ex Scriptura retulerit,

adeoque ad veram eorundem locorum intelligentiam non pervenerit, nec veram ejus interpretationem attulerit. Probe hoc semper observatum inde à primis Ecclesiæ temporibus, hinc enim Scripturam exposituri, eos, qui antehac illud fecerant, ita secuti sunt, ut tamen ab illorum sententia alicubi recedere non formidarint. *Hieronymus* sane in *Prefatione in Hoseam*: De Origine, inquit, *Eusebio, Didymo hæc dico, ut noveris, quos in Propheta hujus campo præcursores habuerim: quos & simpliciter, non superbe — — non in omnibus sum secutus: ne judex potius operis, quam Interpret existerem, diceremq; quid mihi videretur in singulis.* Idem fecit *Augustinus*, ut testatur ante nominatus *Hieronymus* in *Epistola sua LXXXIX. Tom. II. p. m 230. D. Respondeat mihi, prudentia tua, quare tu contra tot & tales Interpretes in Explanatione Psalmorum diversa senseris.* Quemadmodum igitur in casibus dictis fieri potest, ut non eadem interpretatio quorundam Scripturæ locorum, ab omnibus afferatur, ita de reliquis aliter sentiendum est, & imprimis de illis, quæ ad fidei substantiam pertinent: nimirum Spiritum S. rite Scripturas scrutantibus, intelligentiam & interpretationem earundem omni tempore eandem suppeditare, ac proinde grata mente etiam illorum, qui antehac de intelligentia & interpretatione Scripturæ felicitati fuerunt, labores esse acceptandos.

s. IX.

Porro Spiritus S sine respectu personarum, muneris ecclesiastici, aut aliarum prærogativarum externarum, iis, qui Scripturam fideliter scrutantur, intelligentiam & interpretationem ejusdem exhibet, & suppeditat. Conjunctus enim semper est verbo divino, ac proinde cujuscunque conditionis fuerit Scripturæ S. scrutator, in illo Spiritus S. operosum se ostendit. Equidem meminit *Apostolus*, quando *χαρισματα* recenset, quæ in primitiva Ecclesia Christianis collata, etiam *προφητείας*, *Rom. XII. 6.* & *1. Cor. XII. 10.* per quam aliqui his etiam in locis interpretationem Scripturæ intelligendam esse putant, ac proinde certis tantum nonnullis hominibus Spiritum S. intelligentiam & interpretationem Scripturæ conferre statuunt. Sed melior nobis sententia illorum videtur, qui utroque hoc in loco per *προφητείας*, domo prædicendi futura, intelligunt. Ita *Theodoretus Comment. in Rom. XII. Appellat autem Prophetiam, non solum eorum, que futur. 1. sunt præscientiam, sed eorum etiam, que sunt occulta cognitionem.* Et in *1. Cor. XII 10.* Hujus etiam doni multi erant participes, non solum viri, sed etiam mulieres, ut aperte docet *Actuum Historia.* Digitum intendens ad *Agabum* ejusque focios *Actor. XI. 28.* adde *XXI. 10.* pariter ad

AG.

erunt Hieronymus in 1. Cor. XII. 10, Alii Prophetia. Hoc est, ut futura
 pradicet. Nimirum Charismata, quæ certis hominibus in primitiva
 Ecclesia conferebantur, ad tempus tantum in Ecclesia vigeant, & ne-
 cessaria erant, deinde cessarunt, ut vel ex reliquis illo versu nominatis
 charismatibus, manifestum est, nempe facultate edendarum virtutum,
 discretione Spirituum, generibus linguarum, & interpretatione lingva-
 rum, aut vero intelligentia & interpretatio Scripturæ nunquam cessa-
 re potest, quia sine ea nec Ecclesia colligi & conservari, nec salus æterna
 ab hominibus obtineri potest. Johannes Apostolus proinde clare ostendit
 intelligentiam ac interpretationem Scripturæ in omnia Ecclesiæ
 membra, sine ullo aut muneris Ecclesiastici, aut aliarum prerogativa-
 rum externarum respectu, cadere, hinc 1. Job. IV. 1. *Dilecti, ne cuius
 Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex DEO sint: nam multi Pseudo-
 prophete exierunt in mundum.* Dilecti illi, quos alloquitur Johannes,
 omnia Ecclesiæ membra sunt, etiam illi, qui munere docendi Ecclesia-
 stico non funguntur: hos omnes, jubet, ut probent spiritus, an ex DEO
 sint? h. e. an Spiritu S inspirante doceant, an vero spiritu mendacii,
 unde addit: *multi enim Pseudoprophete exierunt in mundum:* qui
 non ex DEO, sed Diabolo sunt. Jam vero in quo illud δοκίμασον, pro-
 bare, consistebat? Certe in eo, ut collationem doctrinæ divinæ in Scri-
 ptura propositæ & Doctrinæ Pseudoprophetarum instituerent Dilecti,
 prout Berthüenses quoque faciebant. Act. XVII Hoc autem modo si
 conferre poterant Doctrinam Scripturæ & Doctrinam Pseudoprophe-
 tarum, etiam intelligere Scripturam atque interpretari poterant. Conf.
 Chrysostomus Hom. 13. in 2. Corinthios.

s. X.

Nostram hanc sententiam Pontificii sæpe solent exagitare, & gra-
 viter adversus eam declamare. Cornelius à Lapide Comment. in 1. Cor II.
 15. Hinc Calvinus & Anabaptiste, cujusq; spirituum, id est, fidelis Spi-
 ritum privatum & fanaticum faciunt judicem controversarum fidei &
 Scripturæ interpretum. Similia alii habent. Sed invidiam illi facere no-
 bis, non veritatem investigare, annuntiant. Quod enim nostram sen-
 tentiam, Anabaptistarum conjungunt opinioni, in eo turpissime suam-
 met ignorantiam prostituunt. Nos enim Spiritum S. ipsi Scripturæ
 unitum in tractatione hujus, lectione scilicet, auditione & meditatione
 sensum Scripturæ edocere assiduum ejus scrutatorem, idque sine res-
 pectu personarum, muneris ecclesiastici, aut aliarum prerogativarum
 externarum, asserimus: aut Anabaptistæ ἐν θεοῖς αὐτοῖς sibi fingunt ex-

B 3

tra

tra Scripturam, & Spiritum extra scripturam, & sine scriptura non sua, secundum quem Scripturam intelligant, & interpretentur. Nec aliter nobiscum agunt, quando dicunt nos *Spiritum privatum* facere Scripturam interpretem Sane ipse Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. latere necesse habuit, *convenire inter Pontificios & adversarios ipsorum*, quo nomine Lutheranos imprimis notat, *Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ sunt, i. e. Spiritu Sancto*: licet sui oblitus paulo post tribuat iisdem, eos statuere, *unumquemque, judicem esse* controversiarum *Spiritum suum sequendo*: at Spiritus S. non est Spiritus privatus, sed Spiritus totius Ecclesiæ publicus. Daniel Chamier *Panstratiæ Tomo I. lib. 16. cap. 1. § 6.* hanc rem uberius pertractat, inter alia & hæc habet: *Quem appellant Spiritum privatum? Efficaciamne illam particularem, cujusque fidelium, quæ est à Spiritu S., quæque efficit, ut Scripturam intelligat, hoc est, sensum assequatur verum genuinumque? An vero potius cujusque homunculi impetum, qui se ingerens ad legendas interpretandasque Scripturas, ipse sibi Marte sensum pro arbitrio fingit, quem affingat libris sacris? Nam si hunc: per nos sane licet hunc privatum spiritum impetere atque exagitare, detestari etiam & anathemate ferire: & post aliqua Catholici censent Scripturam interpretandam privato labore, privataque industria, puta Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, at non privato sensu, sed genuino, germano, ipsique Scripturæ innato, denique, eo, quem in animo habuerunt Paulus, Petrus, aliique librorum sacrorum Scriptores. Nimirum male habet Doctores Pontificios, quod non solis Episcopis, vel potius, quo omnia eorum molimina tendunt, Pontifici Romano, in solidum relinquamus intelligentiam atque interpretationem Scripturæ, à quibus tanquam ab oraculis, alii eandem accipiant, sed eam sine respectu personarum, muneris ecclesiastici, aut aliarum prerogativarum extenarum, aliis quoque à Spiritu S. suppeditari, asseramus, sicque autoritati ipsorum detrahere videamur, pro qua tuenda cum omnia faciant, sententiam nobis affixerunt absurdam ac impiam, quæ nunquam in mentem nobis affinxerunt quoquam nostratum proposita aut defensa est. Patet hoc imprimis ex verbis Bellarmini lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. At hæretici omnes hujus temporis docent. Spiritum S. Scripturæ Interpretem, non esse alligatum Episcopis, vel ulli hominum generi & ideo unumquemque, judicem esse debere. Notatu digna sunt, quæ in hanc rem habet Sebastianus Schmidius Comment in 1. Joh. IV. 1. p. 365. Privatum judicium si subjective sumatur, non originaliter, quod sit judicium hominis privati, non tamen proprio cerebro, sed Scripturæ sensu deproptum, nihil habet criminis. Nos si Pontificis par pari referre vellemus, Ana-*

bapti-

baptuitis eos jure conjungere & probare possemus, eos Scripturæ intelligentiam & interpretationem non ex Spiritu S. semper Scripturæ S. un-
nito, expectare, sed asserere per *ἐνδρασιονίμους* extra Scripturam & sine
Scripturæ iis Spiritum dari, quibus S. Scripturæ intelligentiam & inter-
pretationem tribuunt Quot enim inter ipsos non inveniuntur Epi-
scopi rudes & ad scrutandam Scripturam inepti? imo quot non Ponti-
fices in omnibus aliis docti, præterquam in Scripturis? ut de fide & pie-
tate eorum dicere plura, hac vice superfedeam.


s. XI.


Uterius Spiritus S. intelligentiam & interpretationem Scripturæ
offert tam irrogenitis, quam regenitis, quando illi Scripturam S. legunt,
meditantur & contemplantur, Quemadmodum enim semper Scripturæ
S. est conjunctus Spiritus S. & semper operatur, quando illa in usum
transfertur, ita obtinet hoc, sive ille, qui Scripturam legit, meditatur &
contemplatur irrogenitus sit, sive regenitus. Huc sine dubio pertinent
illa *Job I. 9. Hic erat Lux illa vera, illuminans omnem hominem venien-
tem in hunc mundum.* Non eodem tamen effectu hoc fit in utrisque.
Etenim illi ex omnium consensu à Spiritu S. intelligentiam & interpreta-
tionem Scripturæ accipiunt, qui regeniti & per Spiritum S. ad DEum
conversi fuerint. *Improbo, enim, dicit DEus, quid tua, ut enarres de-
creta mea & assumas sedus meum in os tuum, cum oderis disciplinam &
projeceris verba mea post te? Pf. L. 16. Si ergo cupis sapientiam, serva
mandata, & Dominus eam suppeditabit tibi, dicit Syrac. I. 16.* Omnino
in rem nostram *Athanasius Orat. de Incarnatione Verbi. Ad Scri-
pturarum perferuationem & veram intelligentiam opus est vita honesta,
& animo purgato & ea, que secundum DEum est virtute, ut per hanc
mens decurrens consequi & comprehendere, que cupit, possit, quate-
nus fas est, humanum ingenium divina discere: absq; pura enim mente
& vita sanctorum imitatione non poterit utiq; quis Sanctorum verba per-
cipere.* *Augustinus idem sæpissime inculcat, tendunt eo quoq; hæc, qua
inveniuntur Tract. 29 in Johannem: Intellectus merces est fidei: Ergo
noli querere intelligere, ut credas, sed crede, ut intelligas; quoniam nisi
credideritis, non intelligetis. Cum ergo ad possibilitatem intelligendi con-
siliū dederim obedientiam credendi, & dixerim, Dominum JESUM Chri-
stum hoc ipsum adjunxisse in consequenti sententia, invenimus eum di-
xisse: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de Doctrina ejus.*
Et sane, prout regeniti & fideles Spiritum S. exorant à DEo precibus
devotissimis, quando Scripturæ intelligentiam & interpretationem as-
sequi volunt, ut ille *revelet oculos eorum, ut considerent mirabilia de lege
ejus*

ejus: ut det ipsis intellectum, ut discant mandata ejus. P[er] CXIX. 18. & 125.
Ita datur Spiritus S. potentibus eum: juxta promissionem Salvatoris Luc.
XI. 3. imo habitat in iis Job XIV. 1. Cor. III. & ducit eos in omnem ve-
ritatem. Job. XVI. 13. Irregenos, quod attinet, illi in duplici sunt
differentia, alii enim malitiose resistunt Spiritui S. & quando offertur
ipsis à Spiritu S. intelligentia & interpretatio Scripturæ, oculos mentis
claudunt, & avertunt, ne illi lumine cœlesti illustrentur, de quibus lo-
quitur Apostolus: *Si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pere-
unt opertum est. In quibus Deus seculi hujus excœcavit mentes infidelium,
ne irradiet eos lumen Evangelii gloria Christi.* 2. Cor. IV. 3. Alii vero
malitiose non resistunt, connata tamen ipsis est resistantia & cœcitas
mentis, propter quam fit, ut quæ in Scriptura proponuntur, capere non
possint. Utrisque hoc est commune, quod offeratur ipsis intelligentia
& interpretatio Scripturæ à Spiritu S. & illustretur cœcitas eorum lum-
mine divino, & hoc quidem ita, ut sistat Spiritus S. iis res divinas in
Scriptura propositas, antequam id evitare possint. In eo tamen magna illo-
rum ab his differentia, quod illi quidem statim id quod oblatum rejiciant,
nec quando illapsum est lumen divinum, ut tenebras eorum illuminet,
illud ferant, sed statim oculos mentis ab eo avertant, & hi intelligentiam
& interpretationem Scripturæ ipsi à se rejiciunt: in posterioribus vero
removet Spiritus S. collustratione sua cœcitatem ipsis innatam & resi-
stentiam illam naturalem, ut convertantur per verbum cui Spiritus S.
conjunctam semper est, & sic ad intelligentiam & interpretationem Scri-
pturæ perducantur.

§. XII.

Illud annotandum adhuc est, non omnes, qui assecuti sunt intelli-
gentiam & interpretationem Scripturæ à Spiritu S. aptos statim esse ad
proponendam eam & communicandam aliis; sed hoc potius aliquos
tantum consequi exercitio & assuetudine: hinc Apostolus docet *di-
stinctionem* seu aptum ad docendum Episcopum esse debere, 1. Tim. III. 2.
innuens eo ipso non omnibus hoc inesse. Multum quoque hac in re
facit donorum diversitas, propter quam alii facilius, alii difficilius com-
municare cum aliis, iisque proponere possunt, quæ in intelligentia & in-
terpretatione Scripturæ à Spiritu S. hauserunt aut acceperunt. Admi-
rata proinde Ecclesiæ est præ cæteris numero fere infinitis Originis ub-
beritatem, Chrysostomi parthesiam, Hieronymi *diversitatem*, Augustini
facilitatem, quin & præsentis adhuc seculo Divino Numini gratias
agit, quod habeat, in quibus dona Ejus venerari possit.





94 A 7348

ULB Halle
001 603 280

3




V. 17

Hi. 52.

241f







DE.

27.

SPIRITU INTERPRE- TANDI SCRIP- TURAS,

Quam
DIVINI NUMINIS GRATIA
ANNUENTE,
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ
publice ventilandam proponunt
PRÆSES

CHRISTIANUS SAHMIUS,

S. S. Theol. D. & P. P. Diaconus Ecclesiæ
Palæopolitanæ,

ET RESPONDENTES

ALBERTUS COLUMBUS,

S. S. T. S. Lycc. Bor.

JOHAN. BALTHAS. CHARISIUS,

S. S. T. S. R. B.

IN AUDITORIO THEOLOGICO,
Anno MDCCXII. d.

REGIOMONTI Typis REUSNERIANIS.